Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 167
Quelle:
Copyright:

ſubſcribitur: *Explicit reſponſio fratris Nicolai de lira ad quendam Judeum ex verbis euangelij ſecundum Matheum contra chriſtum nequiter arguentem.*

CXI.

R. 3325 Codex membraneus lat. theotiſc. Sec. XI. Folior. 134. 4. eleganter ſcriptus et minio diſtinctus, olimque Coenobii *Lunaelacenſis* O. S. B. in *Auſtria* ſuper. nunc extincti ſequentibus pollet. I. litera quadra: *In Nomine Sanctae Trinitatis Et Unius Deitatis Incipit Cloſula De Hebraicis Nominibus Graec. Et Lat.* Ita: Ιησους. *hebraice dicitur. Sother. grece. Saluator. latine. Item Meſſias. hebr.* Χρς. *grece. Unctus. lat. interpretatur. Sabaoth. exercituum. ſiue uirtutum interpretatur. Michahel. qui ſicut deus. Gabribel. fortitudo dei. Raphahel. medicina dei. Adonay. Omnipotens. Hel. deus. Adam. homo. ſiue terrigena. uel rubra terra interpretatur. Aeua. uita. ſiue calamitas. haec edendo homini uitam attulit. & transgrediendo calamitatem. ſicut mulier. aliis interdum uita. aliis calamitas.* Raro ejusmodi obſervationes inſperguntur. *Nominibus* Perſonarum ſuccedunt hae Rubricae: *De Diuerſis Rebus. De Gentibus. De Locis. De Fluminibus. De Menſibus. De Solemnitatib. Anni. De Uolatilibus. De Ponderibus. De Menſuris. De Grecis Nominibus. De Principatibus Hieronimi*, puta ex ejus Scriptis. *De Hoſpitiis. Expoſitio Grecorum Verborum*, quod falſum, quia mera hebraea ſunt excepto *Agmon*, quod redditur *Epiſcopus*, corruptum, ut videtur, ex Ἡγεμων. Succeſſu temporis hae Rubricae in unum commune Alphabetum confluxerunt, ut videre eſt ad calcem *Bibliorum* Sec. XIII. XIV. &c. ſcriptorum. Tria hic adhaerent: primo *Incipiunt Formata Epiſcoporum*, ratio nempe illa ab *Attico* Patriarcha *CPolitano* edita graecis literis numerorum loco utendi, de qua dixi *Vol.* I. P. 3. *col.* 2988. dein *Alphabetum* graecum ſat deformatum addito valore numerico, demum VII. Peccata, totidemque Poenae *Adami* et *Caini.*

II. *fol.* 9. *Incipiunt Cloſae Super Uetus Et Nouum Teſtamentum Breuiter Excerptae Singulariter De Difficillimis Uerbis.* Ne de praeſtantibus his ad Theſaurum Linguae *Theotiſcae* acceſſionibus hic verba faciam, praevertit doctiſſimus *Bern. Pezius*, qui eas T. I. *Theſ. Anecdot.* P. I. *col.* 319. cum Eruditis communicavit. Illud modo monendum eſt, ea, quae non theotiſce, ſed latinis aut Synonymis, aut Periphraſibus exponuntur, majorem totius Tractationis partem conſtituere, id quod praeſertim e ſine *Geneſeos*, et tota *Apocalypſi* manifeſtum eſt.

III. *fol.* 123. *Incipit Somnialis Liber Sancti Danielis Prophetę Qui In Babilonia In Diebus Nabuchodonoſor Regis. Haec Eſt Uiſio Terrea.* De hoc vaniſſimi Impoſtoris commento agit *Fabricius* in *Cod. Pſeudepigr. V. T.* p. 1130. Exemplar praeſens conſtat

Sen-